



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 6. Universitas Cesseronia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

## §. VI.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1289.*Universitas Cesseronia.*

Eodem anno Papa Cesserone seu Monte Pessulano Universitatem instituit. Hæc enim urbs jam celebrem quidem artis medicæ ac jurisprudentiæ scholam, nulla tamen hæctenus privilegia habuerat. Papa igitur ob hujus scholæ famam, & commoditatem loci vult in posterum ibi esse litterarum studium generale, ubi cunæ facultates licitæ doceri discique possint: sed non permittit, ut ibi obtineatur gradus & nomen Doctoris præterquam Jurium, Medicinæ, & Artium: Candidati ducentur ad Episcopum Magalonensem (qui tunc Cesserone non residebat) & hic Præsul vel Procurator ejus congregabit Doctores facultatis, de qua erit quæstio. Cum istis gratuito examinabit aspirantes; ac de illorum consilio doctrinæ insignia tribuet iis, qui hoc honore digni fuerint habiti. Vacante sede Magalonensi unus ex tribus Archidiaconis eandem functionem faciet: ac laurea donati sine alio examine habebunt copiam docendi ubique, ac Professores publice agendi. Diploma dabit 26 Octobris an. 1289. Non video, cur a Papapetenda necessario sit copia tradendi artes liberales, jus civile, ac medicinam.

*Duboulay*  
to. 3. p. 488.  
*Rayn. n. 51.*

U 5

§. VII.